



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. II. De Magnificentia.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

*Prodigalitatem quomodo definiis?*

Ea definitur excessus in effundendis pecuniis, Græcè ἀσωνία, ab ἀσωνος: hic enim dicitur prodigus, quod salutē suam negligens ipse per se pereat. Nam facultatibus inlumptis, vitam suam ampliūs sustentare nequit.

*Uter melior est, avarusne an prodigus?*

Prodigus certē minūs quā avarus culpabilis est.

*Qua ratione hoc ostendis?*

Prodigus omnibus prodest: avarus autem ne sibi ipsi quidem. Tam enim ipsi deest quod habet, quā quod non habet: Prodigus igitur anteferendus avaro. Adhæc prodigus facili ad salutem potest reduci, progressu ætatis & inopia coactus: Avaritia autem malum insatiabile: Prodigus itaque avaro melior.

CAP. II.

De Magnificencia.

*Qualis virtus est Magnificencia?*

Est virtus in sumptuum magnitudine decorum observans.

*Ergone idem huius est quod liberalitatis subjectum?*

Recte: Utraque enim in pecuniis cernitur.

*Quomodo igitur hac virtus differt à liberalitate?*

Ratione dumtaxat majoris & minoris. Liberalitas enim in exiguis: magnificentia autem in magnis sumptibus potissimum exercetur.

*Potestne pauper etiam esse magnificus?*

Si sumptuum magnitudo spectetur, non poterit: quoniam nihil ei suppetit unde sumptum queat splendide sustinere: Nisi simulanimus ejus magnificus, & mentis excellentia consideretur.

*Quenam fugienda sunt magnifico viro?*

Ne in rebus parvi momenti magnos sumptus adhibeat, splendoremque inepte ostendet. Deinde, ne cum magnos sumptus sustinerit, in exiguo decorum omne pervertat, & se splendidius omnia quam deceat facere arbitretur. Quamvis ejusmodi habitus, quod minus proximis noceant, non tantopere sunt reprehendendi.

### CAP. III.

#### De Urbanitate.

*Quid est Comitas sive Urbanitas?*

Est in salibus jocisque liberalibus atque eruditis tum dicendis, tum audiendis temperantia, sive modesta dexteritas.

Huc facit illud Ciceronis, Ludo, inquit, & joco, uti illo quidem licet, sed sicuti somno, & quietibus ceteris, tum cum gravibus rebus satis fecerimus, ipsumque genus jocandi ingenium & facerum esse debet.

*Quae sunt extremitates urbanitatis?*

Excessus est scurrilitas, defectus autem rusticitas, & animi durities.

*Scurra*